

non obstante, quod idem *senex 1. acut. 43.* frigida potum, tanquam calorem febrilem & inflammationem contemperantem commendet. Quatenus materiam peccantem magis densat, seu sanguinem circa pulmones congestum plus coagulat, *annotante J. R. Forti Cent. II. consult. 40. Riverio & Ettmüllero in prax. de Pleuritid. & Peripnevmonia*: quorum Posterior, *nihil nocentius*, inquit, *in his affectibus*, & *quod magis exasperare eosdem solet, quam frigida potus, qui coctionem impedit, excretionem remoratur, tussim provocat, inflammationem intendit, & ledendo pulmones respirationem difficiliorem facit; quae omnia in calido potu contrario modo se habent.*

§. 47.

De lanâ caprinâ disceptare & cum umbra suâ dimicare videtur *Senertus*, dum *Pr. L. II. l. a. qu. 2.* ventilare satagit, an dulcia in Peripnevmonia conveniant? quem scilicet *Hippocrates* suus *II. de Morb.* facile docere poterat, in Peripnevmonia dulces sorbitiones exhibere jubens, ut quod pulmonibus inhæret eluatur seu detergatur, leniatur quoque tussis & expectoratio juvetur. Nec adeo magni momenti sunt, quæ contra hanc *Hippocratis* sententiam movet, dubia, quasi dulcia, facile bilescant & jecoris ac Lienis inflammationi noceant; *Hippocrates* etiam, ubi de Pleuritidis curatione agit, per acidas potiones sputum moveat. *Falsum* enim est, dulcia adeo facile bilescere, quin potius viscidos seu pituitosos humores generent, aut etiam effervescentiam febrilem intenderent; atque sic non tam substantia seu textura, quam copia & per abusum, noceant: Acidorum admiscelam non in principio, sed progressu demum, morbi concedo, v. g. in Oxymelite, ubi scilicet expectorationi inserviendum.

§. 48.

Motus corporis nimios & exercitia ipsa eque morbi vehementia vetat, ad jactationes & volutiones nihilominus præ impatientiâ doloris & anxietatibus suffocatoriis urgemur ut plurimum: à quibus sibi temperare convenit, ne morbus cum symptomatis exasperetur, & quies ac erectus magis corporis situs, præ decubitu capitis & pectoris declivioris eadem evidenter demulcent. Quemadmodum pari de causâ tussis etiam peculiare indicans præstat, ut nimirum pro ipso sopiendo aut mitigando anodyna cæteris medicamentis semper admisceantur, ne à motibus ejus vehementioribus & inordinatis succutiantur nimis pulmones affecti. Vigiliis per similia prospicimus, ne tamen hypnotica expectorationi obicem ponant. Excreta & retenta assumptis respondeant, alvus etiam segnior Clystere leniore stimuletur: Animi verò pathemata, in specie iracundia, rationis fræno coercantur.

S. D. G.

Coll. diss. A. 215, misc. 23